

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV

Weidenfeld, Johann S.

Londini, 1684

59. Leo viridis Riplei

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

D E

Menstruis Mineralibus.

XIII. G E N U S.

Menstrua mineralia simplicia ex materia vini phil. tantum.

59. Leo viridis Ripleyi.

Libro Accurtationum pag. 383.

R. **V**IRIDEM leonem absque dissolutione in aceto (*ut aliis moris est*) & ipsum pone in magna retorta terrea, quæ possit sustinere ignem, & pone ad destillandum per modum & viam, ac si aquam fortem destillares, supponendo receptorium, & bene lutando juncturas, ne respirare possit; deinde cum igne lento primo destilla, quousque videris fumos albos apparere, tum muta receptorium ipsum bene claudendo, & sic cum magno igne destilla, sicut destillatur aqua fortis, sic per 24 horas continuando, & si per octo dies continuabis ignem, semper videbis receptorium plenum fumis albis, & sic habebis sanguinem viridis leonis, quem vocamus *Aquam secretam, Acetum acerrimum*, per quod omnia corpora reducuntur ad suam primam materiam, & ab humano corpore omnes repelluntur infirmitates. Hic est ignis noster ardens semper continuando uno modo intra vas vitreum, & non extra; *Serquelinium nostrum, nostra Aqua vite, Balneum nostrum, Vindemia nostra, Venter equinus noster*, qui mirabilia operatur in operibus naturæ,

Z

&

& examen omnium corporum solutorum & non solutorum, & est Aqua acuta portans in ventre suo ignem, ut Aqua ignea, nam aliàs non haberet potestatem solvendi corpora in primam materiam. Ecce hic est *noster mercurius, noster sol, & luna*, quo utimur in opere nostro. Deinde invenies in fundo vasis fæces nigras sicut carbones, quas per spatium octo dierum calcinabis cum lento igne, &c.

Annotationes.

HActenus unctuosum spiritum vini phil. rebus oleosis, arido-oleosis, oleoso-aridis, aridisque puris temperavimus, & in varia redegimus menstruorum vegetabilium genera; in quibus menstrua exhibuimus omnibus modis absoluta & perfecta, odore, sapore, & colore incomparabilia, absque strepitu & effervescentia solventia, & cum rebus dissolutis permanentia: Sequuntur jam in ordine, quæ dicuntur menstrua mineralia, quæ quamvis sint fætentis odoris, acidi vel corrosivi saporis, & ut plurimum lactei & opaci coloris, imò cum summa violentia & corrosione dissolvant corpora; nihilominus, quoniam eundem vini phil. spiritum, ac menstrua vegetabilia pro sua habent basi, ideo æquè ac illa permanentia sunt, imò his meliora quoad temporis abbreviationem.

Superaddita enim salium mineralium aciditas (ob quam mineralia menstrua dicuntur corrosiva vel acida) destruere nequit naturam spiritus vini, neque naturam menstruorum vegetabilium, sed corrodendo reddit aridorum particulas aptiores ad uniendum eas cum oleoso vini phil. spiritu. Quod si verò removeatur illa, fit iterum quod antea fuit, nimirum vel vini phil. spiritus, vel menstruum vegetabile. Methodum autem, quâ usi fuimus in menstruis vegetabilibus, eandem etiam pro posse observabimus in hisce menstruis mineralibus. In vegetabilibus quidem ex vino phil. extraximus Aquam ardentem, à quâ circulando separavimus oleum, seu essentiam vini, quæ spiritus vini est noster quem deinde diversimodè aciendo redegimus in præcedentia menstruorum vegetabilium genera; In mineralibus verò incipiemus cum *Uris philosophicis*, ipsâ vini phil. materiâ, quæ aliàs *Leo viridis, Adrop, &c.* dicitur. Quamvis autem hujus loci non sit, ut hanc materiam discutiamus si tamen clariora quædam ejus elucidationi in-

ser-

servientia nobis vel in ipsis Receptis, vel aliunde spontè occurrant, ea obscurare nolumus, è contrario illustrare illas, & ita exponere decrevimus, ut non solummodo de vobis promissa utilitate & necessitate hujus spiritus statis certiores, sed insuper etiam quasdam habeatis prænotiones de ejus conceptione, substantia, nativitate, &c. Pro hujus Recepti elucidatione dabimus quædam alia Recepta ejusdem materiæ, ut singula inter se collata clariora fiant: Imprimis subjiciemus menstruum non quidem ex ipso Leone viridi, sed ex eo dissoluto cum acido & in gummi quoddam redacto.

60. Menstruum ex gummi Adrop Riplei,

Libro Accurtationum pag. 381.

R. **A** Drop, hoc est, Leonem viridem, de quo superius locuti fuimus, & ipsum in aceto destillato dissolve per spatium septem dierum, ter quotidie agitando bene vas, in quo est materia; postea evacua liquorem dissolutum, & per filtrum ter destilla à sæcibus suis, quousque erit clarum sicut cristallus, & cum lento igne evapora acetum, quousque erit ad similitudinem visci spissum, quod quasi non potes ipsum agitare propter viscositatem, & post infrigidationem extrahe ipsum è patella, & serva, & iterum fac plus de illo; & hoc fac, quousque habeas duodecim libras hujus leonis viridis vel adrop reducti ad modum gummi, tunc habes terram extractam à terra & fratrem terræ. Tunc accipe libram illius gummi, & pone in vase vitreo, quod sit ad magnitudinem unius potelli, bene lutando juncturas alembici cum colla, facta ex claro ovorum & limatura bene simul mixtis.

Hoc Receptum in tractatu de Adrop philosophico, (qui volum. sexto Theatri chymici extat, & discipulo cuidam anonymo Guidonis magni de monte inscribitur, sed cum Riplei libris, videlicet præsentis de Accurtationibus, & clave aureæ portæ, cujus major pars Dunstano maximo, Archiepiscopo Cantuariensi datur) per omnia idem est quoad sensum, quamvis purius in translatione